



**R. P. Christophori Gillii, Ex Brigantio Lvsitaniæ, Societatis
Iesv, Et in Conimbricensi Academia S. Theologiae
Professoris; Commentationvm Theologicarvm De Sacra
Doctrina, Et Essentia atque vnitata ...**

Gil, Christovão

Coloniae Agrippinae, 1610

Theologia non est euidens ex resolutione in principia naturaliter euidentia
supposita fide. cap. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82291](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82291)

Theologia non est euidens ex resolutione in principia naturaliter euidencia, supposita fide.

CAPVT III.

I.
Toletan.

Theologiam esse habitum euidentem ex alio principio, defendit Toletan. q. 2. prologi, art. 2. conclus. 4. fatetur enim assensum, qui praestatur conclusioni illatae ex principiis fidei, non esse euidentem, atque adeo, neque scientificum: Et respectu huius assensus, vel conclusionis, Theologiam non esse scientiam. Contendit tamen eum discursum, qui fieri potest demonstrando passionem de subiecto aliquo, cuius existentia supponitur ex fide, verè, ac propriè esse scientificum, & assensum ex vi eius genitum esse euidentem, atque adeo scientiam. Et hoc modo ait fieri demonstrationes Theologicas: Nam Theologus supponens ex fide veritatem propositionis reuelatae, atque adeo existentiam subiecti sub praedicato, ex natura huius, vel illius discurret ad ostendendam aliquam passionem de altero ipsorum: Verbi gratia, ex fide habemus filium Dei esse hominem, & consequenter Christum esse vnā hypostasim existentem in duabus naturis. Hoc posito, Theologus procedere potest ad demonstrandas passiones hominis de Christo, ex definitione hominis, vel alijs causis, quibus ille demonstratur de puro homine. Hanc autem sententiam fulcit vnico fundamento, quod exemplo declarat, & deinde ratione confirmat. Fundamentum est suppositio existentiae alicuius rei, siue ex fide, siue quouis alio modo non impedit, quominus de ea re fieri possint verè demonstrationes, & acquiri vera scientia. Exemplum est, si ex fide, inquit, habemus esse alicubi duo corpora, alterum perfectè sphericum, alterum perfectè planum, quae se mutuo tangerent, possemus habere notitiam verè ac propriè scientificam, quod non nisi in puncto se tangerent. Ratio est, quoniam fides solum diceret ea corpora existere, ac se mutuo tangere: supposita verò hac ipsorum existentia, ex reuelatione ac fide nequaquam deduceretur, non nisi in puncto se tangere; sed ad hoc institutum vtendum esset propositionibus geometricis nobis naturaliter per se notis: idè patet ex vsu Mathematicorum in suis demonstrationibus; describunt enim figuras aliquas, quas supponunt esse æquilateras, planas, &c. & his factis suppositionibus de-

monstrant, & tamen figurae illae vt plurimum non sunt, quales esse supponuntur: nectamen proinde existimandum est demonstrationes Mathematicas non esse euidentes.

Ex hoc principio ita explicato probatur opinio Toletani. Primò omnis habitus resoluens suas conclusiones vsque ad principia per se nota lumine naturali, est scientificus scientia propriè dicta: sed habitus aliquis Theologicus est huiusmodi supposita nimirum existentia, ac veritate articulorum: ergo est verè ac propriè scientificus. Assumptionem probat exemplis, nam posito, inquit, ex fide misterio incarnationis, ex per se notis deducitur Deum esse causam vnionis hypostaticae, quae demonstrationem facit Magister in 3. sententiarum; item posita Trinitate personarum diuinarum in vnitate essentiae, ex per se notis conuincitur non esse inter eas distinctionem, quoad aliquid absolutum. At quia aliquis respondere posset, totam vim harum argumentationum, nisi assensu filij, ex quo pendet suppositio, impugnari eiusmodi responsione, quoniam suppositio falsa, vel improbabilis non tollit, quominus conclusio deducta ex per se notis habeat verè rationem scientiae: ergo neque impediet suppositio obiecti veri reuelari, à Deo & infallibiliter crediti. Antecedens patet ex dictis, si duo illa corpora, de quib. dictum est, supponantur esse in caelo, quod saltem naturaliter est improbabile; & nihilominus adhuc haberetur scientia, quod se non nisi in puncto tangerent. Secundò, ex discursu facto ex propositionibus naturaliter euidentibus de obiecto Theologico, supposita tamen ex fide subiecti existentia, gignitur aliquis habitus, non fides, quia ad illuminationem conclusionis non assumitur aliquid creditum licet supponatur: non opinio, quoniam non assumitur aliquid probabile, sed medium necessarium, & euidens: non est denique aliquis alius habitus ex ijs, quos numerat Philosoph. 6. Eth. ergo est scientia propriè dicta. Denique omnis deductio ex veris, necessarijs & impossibilibus vt aliter se habeant, necessitans intellectum ad assentiendum conclusioni, parit scientiam propriè dictam: atqui posita ex reuelatione diuina articulorum existentia, possibilis est viatori eiusmodi deductio, vt constat ex dictis; non pertinet autem ad aliam facultatem, quam ad Theologiam, ergo haec est verè ac propriè scientia.

Suppositiones quae ad aliquid demonstrandum praemitti solent, aliquae sunt principia communia, ad quae in discursu

scientiae

II.

Arist.

III.

Arist.

scientia; qui docent, aut demonstrent recurrere solent; & idcirco ab Arist. lib. 1. Poster. cap. 8. inter principia numerantur: alia habent se tanquam quid extrinsecum, ad demonstrationem, vel saltem vt exemplū singulare eius, quod demonstratur. V.g. Mathematicus demonstratur triangulum isocelē habere duo latera æqualia, describit in pulvere, vel tabula triangulum, quod supponit esse isocelē, non vt de hoc numero ostendat habere duo latera æqualia, sed vt per oculos in figura corporali & singulari indiuiduo ostendat intellectui id, quod absolute demonstrare intendit de omni triangulo isocelē: vt notat Arist. lib. 1. Post. text. 25. his verbis. *Neque autem Geometra falsa supponit, sicut quidam affirmant dicentes, quod oportet non falsū vt Geometram, mentiri autem dicentem lineam esse vnius pedis que non est vnius pedis, aut rectam lineam, non rectam existentem: sed Geometra nihil secundum hanc lineam concludit, quam ipse posuit, sed que per hoc ostendatur.* Prioris generis suppositiones ad veram ac propriam rationem scientiæ opus est vt sint euidenter: quoniam, cum ad ipsas resoluantur variæ conclusiones eiusdem scientiæ, si ipse non cognoscantur euidenter, totus discursus erit inevidens: & consequenter assensus conclusionis per eum genitus erit etiam inevidens: & à perfecta ratione scientiæ alienus: vt colligitur ex Arist. lib. 1. post. text. 35. ad finem vbi ex eo probat non esse progressum in infinitum in medijs, quia infinita non possunt pertransiri, deinde verò concludit, *si igitur neque melius habemus ad ipsam, quam scire, non erit scire, per demonstrationem simpliciter, sed ex suppositione.* Suppositio posterioris generis, si assumatur subiectum eius tanquam exemplum, & demonstratio procedat non de singulari indiuiduo subiecto sentibus, sed de ratione cōmuni speciei, quam ex tali figura singulari intellectus apprehendit, non impedit rationem veræ scientiæ: quia est extrinseca vero subiecto, neque illā nititur vllus assensus præmissarum, aut conclusionis: qui procedit ex alijs principijs veris, & causis conclusionis, inde pēdēt ab eiusmodi suppositione, per eiusmodi tamē discursum, nō acquiruntur vera & absoluta scientia de illa singulari figura. V.g. quod hic triangulus sit æquilaterus: siquidē, vt ait Philosophus lib. 1. Post. tex. 30. *Mathematica circa species sunt, nō enim de subiecto, hoc est indiuiduo aliquo & vt lib. 7. Met. tex. 53. absolute docet, de singularibus, non sunt demonstrationes, sed posita demonstratione vniuersali de specie hoc ipso, quo intellectus videt singulare conti-*

neri sub vniuersali, attribuit illi ipsammet passionem, quam demonstrat de vniuersali, & quia intellectus, circa hanc singularem applicationem decipi potest assensus intellectus tribuentis proprietatem speciei indiuiduo, quod contineri putat sub aliqua specie, cum tamen non contineatur, est falsus, atque adeo non scientificus; si autē sit vera illa existimatio quod indiuiduum cōtineatur sub specie, non tamen euidenter, sed probabiliter ex aliqua coniectura, aut fide humana, etiam assensus, quo illi indiuiduo tribuitur proprietas speciei, est inevidens; quandoquidem non est magis euidenter conuenire illi proprietatem promanentem à natura speciei, quam ipsam speciem: hoc autem secundum est inevidens ex suppositione, quare etiam & primum erit.

Verum quoniam Tolet. non videtur attendisse solum hunc modum probandi ex suppositione, Obseruandum est dupliciter probari aliquid, facta suppositione, nempe absolute & conditionaliter: absolute, cum demonstrans concludit absolute; & absq; vllō respectu, saltem virtuali ad suppositionem, & vult extorquere consensum de conclusione absolutum, & absq; conditione: quo pacto Mathematicus ostendit triangulum isocelē habere duo latera æqualia conditionaliter, cum in ipsa illatione & assensu consequentis inuoluit salte virtualiter cōditionem, si suppositio est vera. Inter quos duos arguēdi modos est magnum discrimen, nā secundus gignit assensum verum, primus falsum, si suppositio est falsa: hæc enim consequens ex ea dependens non reddit verum absolute, sed tantū conditionaliter: & ideo assensus absolutus de veritate eius cōsequentis est falsus; quoniam dicendū esset, si triangulus à Mathematico descriptus re ipsa nō esset isocelē, & discipulus percepta demonstratione facta à magistro, absolute crederet singularem illum triangulum habere duo latera æqualia. Porro cōditionalis verus, vt sit euidenter, requirit vt sit naturaliter euidenter ex illa suppositione, vel antecedente necessario sequi consequens; nam cum veritas proprii conditionalis consistat in bona illatione consequentis ex antecedente etiā euidentia assensus, circa talem veritatem exigit, vt euidenter penetretur veritas illationis materialis, qualis est, cum dicitur, *si sol lucet dies est*, nō autē si dicatur, *si ciuis est non est proditor.* Cum verò bonitas consequentiæ alia pendeat ex materia alia ex forma, ea quæ ex sola forma pēdet, requiritur quidem ad euidentiam scientiæ, sed quæ est inevidens omni materiæ, non est quod attēdatur, quando agitur de euidentia

IV.

habitus veri; quapropter merito excluditur à reliquis Theologis nō nulli ex eo descendentes Theologiā esse verā sciētiā, quā habet euidētiā consequentiā: hoc enim modo, ipsē quoq; opiniōes habēt euidētiā. Ad p̄p̄riā itaq; euidētiā assēns cōditionalis ex parte materiæ, requirit euidēs notitiā necessariæ cōnexionis antecedentis cū consequente: nā quemadmodū veritas obiectiua cōsistit in eiusmodi connexione, ita euidens cognitio ei⁹ veritatis debet ipsam cōnexionem perspicuē & apertē cognoscere.

V.

Dico primum Theologia deductiua nō sumit ea, quæ sunt fidei tanquā suppositiones extrinsecas, neq; cōmuniter infert conclusiones cōditionatas, sed absolutas. Prior pars est cōmunis doctorū, assentiū principia Theologica esse veritates reuelatas, quos retulit c. 4. principia autē nō sunt extrinsecas, & nihil iuuant ad conclusionem inferendā, ex quo breuiter ostēditur prior assertionis pars. Conclusio non resoluitur in suppositionem extrinsecam & solū exempli causā usurpatā à demonstratore: sed sciētiā Theologica necessariō resoluitur in principia reuelata: ergō ea non sunt extrinsecas. Maior per se patet in suppositionibus Mathematicis de figura quauis singulari, quā demonstrans supponit sub certa aliqua specie cōtineri; nā cū exempli gratia pponatur, non resoluitur demonstratio in eiusmodi suppositionē, sed in principia, ex quib⁹ demonstratur passio de specie, cuius indiuiduū supponitur esse particularis, illa figura ob oculos proposita. Assumptio p̄bata est, c. 4. & in particulari nō esse suppositiones extrinsecas ostenditur, quia nisi per se concurrant ad assensum Theologicū tanquam mensuræ veritatis inferendæ, nullā maior certitudo erit assensus Theologici, quā cuiusvis alterius sciētiæ naturalis, cuius oppositū probandū est infrā tract. 6. cap. 3. sequela constat, namq; assensus quoad certitudinem sunt æquales, vel inæquales iuxta certitudinem principiorū; at nisi principia reuelata & suppositiones fidei per se cōcurrant ad assensum Theologicū, sed solū alia principia nota lumine naturæ, iā principia Theologiæ nō erunt magis certa, quā principia sciētiarum; atq; adeō cōclusiones illatæ discursu Theologico, quoad certitudinē nō erunt superiores conclusionibus sciētiarū naturalium. Secunda, si Theologus in differendo nō vtitur per se principiis reuelatis, sed tanquā suppositionib⁹ extrinsecis ponētib⁹ existentia subiecti; Theologia non est per se habitus distinctus à sciētijs naturalib⁹, sed aggregatio habitūū naturalium, per accidens coalescentiū ad probandas

cōclusiones p̄p̄rias circa aliquod subiectū, posita eius existentia ex suppositione fidei: id verō est contra cōmunem sententiam doctorum; ergō principia reuelata non sunt suppositiones extrinsecæ. Id verō sequi cōstat quoniam tota ratio formalis ac distinctio vnius sciētiæ ab alia sumitur à principiis, in quæ resoluitur, vt patet ex sententia Arist. lib. 1. Post. tex. 43. vbi sic ait, *vna autē sciētia est, quæ est vnius generis, quæcunque ex primis componitur, & partes sunt, aut passionēs horum quæ sunt per se; altera autē sciētia est ab altera, quarumcūq; principia neque ex eisdem, neque ex alteris sunt.* Quibus verbis ad vnitatem sciētiæ, exigit identitatem principiorum, ad distinctionem verō eorundem diuersitatē; quare si Theologus vtitur solū principiis notis lumine naturæ, & nullo reuelato, ea principia per se pertinebūt ad aliquam sciētiā, atq; adeō vsus, & applicatio ipsorū, & assensus productus ex tali discursu, per se ad eandem sciētiā pertinebūt: vt patet in ipsomet exemplo adducto à Toletano, nam facta ex diuina reuelatiōe illa hypotesi de existentia duorum corporum in cælo, non ad Theologū, sed ad Mathematicū spectat ostendere eiusmodi corpora, non nisi in puncto se tangere: itē posita incarnatione, tanquā ente vero ex diuina reuelatione ad Metaphysicū spectabit probare p̄dere à prima causa: itē posito Christum esse hominem, Philosophi naturalis erit ostendere ipsum habere voluntatem humanam, ac sic de cæteris omnibus.

Arist.

VI.

Posterior eiusdē assertionis pars est nota cuius Theologo, non enim Theologus veritates solū conditionatas persequatur, sed multō magis absolutas inquit, nā quāuis in materia de Trinitate quærat, vtrū, si Spiritus sanctus à filio nō procederet, ab eo distingueretur, & in materia de incarnatione Verbi, verū, si Adamus nō peccasset Verbum diuinum assumere humanam naturam: nihilominus hic modus arguēdi raro adhibetur: cōmunis & frequenter vsitatus est, inquirendi veritates absolutas: non enim Theologus cum definit diuinas personas, solū penes relationes differre, infert conclusionē conditionatam, aut assentitur illi sub conditione, si personæ conuenirent in eadē numero, natura diuina, sed hoc assens ex fide tanquam certum, & absolute verum p̄cedit ad deducendam conclusionem absolute veram: item in materia de incarnatione non infert conclusionem conditionatam, nempe Christum habere voluntatem humanam, si est homo: sed supponens ex fide tanquam principium infallibile Christum esse hominem, deindē ex

propria

propria ratione hominis cōcludit pollere proprio intellectu, ac voluntate humana. Quod his duobus exemplis patet, pluribus alijs constabit discurrenti per singulas partes Theologiæ. Ex hac parte assertionis prior certò & euidenter colligitur in hunc modum. Quotiescunque veritas absoluta conclusionis per discursum illatæ, pendet ex veritate alicuius principij vel suppositionis, hæc per se requiruntur ad assensum conclusionis, ita vt is pendeat ab assensu illorum: sed veritas absoluta conclusionum Theologicarum per se pēdet ex principijs fidei, & ex veritate reuelata: ergo assensus genitus per discursum Theologicum per se pendet ex assensu fidei præstito principijs reuelatis; atque adeò hæc non habent se omninò extrinsecè ad eū discursum. Maior per se patet, nam eadē sunt principia essendi, atque intelligendi; assumptio probatur, quoniam hæc propositio: *Christus habet humanam voluntatem*, per se pendet quoad veritatem ex veritate huius, *Christus est homo*, quam fide credimus; item veritas huius, *persona diuina solum per reuelatūa distinguuntur*, per se pēdet ex veritate huius, *persona diuina cōueniunt in natura diuina singulari*. Consequentia patet ex doctrina Aristotelis lib. i. post. cap. i. illis verbis, *quod enim nesciuit, si est simpliciter quod sciuit, si duos habet rectos simpliciter?* loquitur in materia demonstrationis qua de triangulo in communi ostenditur, quod habeat tres angulos æquales duobus rectis: quādiu enim ignoratur isocelē esse triangulū, nō scitur simpliciter habere tres angulos æquales duobus rectis: sed simul ac innotescit ipsum esse triāgulum, innotescit etiam cōuenire ei passionē illam trianguli: quapropter assensus præstitus illi propositioni, *isocelēs habet tres angulos æquales duobus rectis*, pendet ex assensu huius, *isocelēs est triāgulus*, & simili modo assensus illius, *Christus habet humanam voluntatem*, pendet ex assensu huius, *Christus est homo*: qua ppter hæc non est censenda suppositio extrinsecæ, & nihil conferens ad illationem illius absolute sumptæ.

VII. Dico secundum. Assensus absolutus genitu discursu propriè Theologico, nō habet euidentiam ex principijs proximis, atq; immediatis; conditionalis habere interdū potest: Prior pars est omnium, qui negant euidentiam simpliciter in assensu Theologico: & facillè probatur, quoniam omnis assensus Theologicus absolutus per se pendet immediatè ex aliqua de fide, vel resoluta ad principia fidei: hæc non sunt per se euidentia vt ipsemet Toletan. admittit, ergo neq; assensus Theologicus erit euidens: cō-

Gillij comment. Theol.

sequentia est per se nota & ab eodem concessa, ideò enim Theologiam credebat esse veram scientiam, & euidentem, quia supposita subiecti existentia conclusiones inferuntur ex principijs naturaliter euidentib⁹, non verò ex reuelatis. Maior propositio ostenditur, nam quāuis scientiæ naturales abstrahendo à singularib⁹ subiectis demonstrantur passionēs de generibus, ac specibus, tamen vt particulare absolute, ac determinatè sciat aliquod indiuiduū vèdicare sibi illā passionē, opus est vt cōstet illud contineri sub vniuersali subiecto, de quo sūt demonstrationes euidentēs, & iuxta modū, quo cognoscit indiuiduū contineri sub vniuersali subiecto, cognoscitur etiā cōuenire illi passionē, vt patet ex ijs quæ suprà adnotaui. In omnib⁹ autē syllogismis Theologicis, precedentib⁹ ex aliquo medio naturaliter noto in vniuersali, opus est vt fiat applicatio subiecto, de quo Theologus ostendit passionē: hæc aut fieri nō potest nisi p principiu reuelatū, qd habeat rationē minoris, propositi onis assumptæ; ergo assensus præstitus eiusmodi conclusioni necessario pendet ex aliquo principio reuelato. Declaro rem exēplo: Christū habere humanum intellectū, esse visibilē, & similes propositiones enunciantes de ipso proprietates humanæ naturæ, possunt esse conclusiones Theologiæ: mediū, quo passionēs illæ demonstrantur de homine à Philosopho, est definitio hominis, & ita propositio hæc *homo est visibilis*, est demonstrata, & proindè scita in Philosophia naturali, & consequenter scitur in vniuersali omnem eum, cui cōuenit natura hominis, esse visibilem. Verū quamdiu non constat de hoc indiuiduo singulari, qd sit homo, nec lum etiam cōstat quod sit visibilis: atque adeò vt mens determinatè dicat, *Petrus est visibilis*, oportet vt prænoscat ipsum esse hominem, ita vt ab hac prænotione per se pendeat illa, *Petrus est visibilis*: similiter vt mens per discursum Theologicū absolute assentiatur huic propositioni, *Verbum Dei habet humanam voluntatem*, opus est vt prænoscat hanc, *Verbum Dei est homo*; hanc verò, non aliter, quā ex fide & consequēter ineuidenter agnoscit: ergo cōclusiones Theologicæ quib⁹ enuntiatur prædicata, alioquin euidenter agnoscibilia de subiecto cōnaturali, qñ ex parte subiecti inuoluūt aliquid supernaturale, aut sola fide cognoscibile, necessario pēdet ex principio aliquo reuelato.

Posterior pars colligitur ex superius annotatis, nā quemadmodū ad veritatem conditionalis, nō opus est veritate vllius absolute, sed sola ratione consequentiæ antecedentis ad consequens, ita ad euidentiam eius-

VIII.

N 2

dem

Aristot.
S. Thom.

dem non est opus ullam propositionē absolutam euidenter agnoscere, sed sat est clarē & perspicuē intelligere cōnexionem eorundem. Et quoniam Arist. ait esse quādam demonstraciones deducētes ad impossibile in quibus ut ex eodem Aristotele lib. 7. Eth. tex. 9. notat D. Thom. lect. 2. ad finē non est necesse ut propositiones assumptæ sint veræ aut necessaria, sed aliqua potest esse improbabilis: quæ nimirum datur ab aduersario & assumitur ab eo qui arguit, ut iuncta alteri conficiat syllogismum deducentem ad impossibile apertum: & tunc reflectitur argumentatio, & conditionaliter saltē colligitur inlicitū, ut deinde subsumpto antecedente cōditionalis tanquam verō inferatur consequens ut absolute verū. Exempli causa si hæreticus neget Christum habere voluntatem humanam, & admittat esse hominē, potest arguere Theologus deducēdo ad impossibile hoc modo: Nihil carens intellectu, ac voluntate est homo, Christus autem ut tute ais, caret humana voluntate, ergo non est homo; Vel ergo dicendum est non esse hominem, vel, si homo esse conceditur, voluntas quoque humana ipsi concedenda est, tu autem fateris esse hominem: ergo etiam debes fateri prædictū esse voluntate humana. Prior syllogismus est vera atque euidentis demonstratio deducēs ad impossibile, ad quam nihil aliud requiritur quā euidentis deductio alicuius enunciabilis ex medio terminō, quod iūctū quibusuis extremis necessariō & euidenter vnū cōiungit alteri, saltē ex suppositione etiam impossibili, & ita assensus cadens supra conclusionē, non est absolute verus, sed conditionaliter, si præmissæ sunt veræ, si cōditio siue suppositio nō sit falsa: deinde verō cōditionalis proposita in sequēte syllogismo euidenter agnosci potest perspecta habitudine, siue cōnexionē necessaria, ac naturali, inter hominē & voluntatē. Hęc dixi, ut cōstaret, quatenus in syllogismis Theologicis euidentia possit admitti non quidē absoluta, ac de inesse, hæc enim semper reuocanda est ad aliquod principium reuelatum, sed cōditionalis, & secūdum quid, quæ potius respicit cōnexionē inter medium terminū naturalem, qui assumitur, & passionē, quæ in conclusione asseritur, quā veritatē absolutā conclusionis deducit; nam connexio mediij termini cum passionē potest esse naturaliter & euidenter nota, & id circo si quis alius terminus coniungitur medio, est conditionaliter euidentis coniungi extremo: & quia cōditio potest esse ineuidens, quoniā coniunctio alterius termini cum medio nō est nota naturaliter: cum euidentia propo-

tionis cōditionalis stare potest ineuidētiā absolute. V. g. cum euidentia huius, *si Christus est homo habet humanā voluntatem*, coherere potest ineuidētia huius absolute, *Christus habet humanam voluntatem*.

Fundamentum Toletani solum est verū, quādo suppositio est omninō extrinseca & tanquam exemplum rei absolute, & in suo genere demonstrandæ, ut se habent suppositiones Mathematicæ circa figuras in prospectu descriptas, ut iam explicauī, si verō suppositio inferuiat, aut necessariō requiratur tanquā præmissa ad conclusionē inferendā, aut tanquā principiū in quod aliqua ex præmissis resoluitur, tunc nō impedit euidentia cōditionatā, impedit tamē absolutā, ut explicatū est, & videre licet in ipso exemplo quod in cōfirmationē adducitur: nā si Mathematicis intendat ostēdere absolute illa duo corpora de facto nō nisi in puncto se tangere, non solū adhibere debet demonstrationē, qua ostēditur corpus perfectē sphericum nō posse tangere planū aliter, quā in puncto, verū etiā subsumere debet illorum duorū corporū quæ se tāgunt, alterum esse perfectē planum, alterum esse perfectē sphericum. Hoc autē ut supponit, ex sola fide habetur, & consequēter est ineuidēs, atque adeo cōclusio pendens ex altera præmissa ineuidente non erit euidentis. Exemplum verō sumptum à Mathematicis nihil efficit: nam suppositiones illæ nō inferuiūt per se veritati demonstrandæ, sed solū iuuāt, ut auditores affirmēt animo veras formas rerū vniuersalium, de quibus fiunt demonstrationes. Principia autem fidei nō ita supponuntur, sed tanquā mēsurā, ac regulā veritatis inferendæ, per syllogismū Theologicum. Ex his facile soluuntur argumenta, quæ hoc fundamento nitebantur.

Primi neganda est assumptio, nam altera ex præmissis, quæ in syllogismo Theologico necessariō debet esse credita fide diuina, vel ad creditam resolui, non potest euidenter resolui in aliud principium euidentis. Ad probationē sumptā ab exemplis respondeo, illa duo, vel probari absolute esse vera, vel conditionaliter: si priori modo, discursum resolvendū esse vltimō in fidem; si posteriore, resolui posse in principiū naturale, si quod est, ex quo pendet vis materialis consequentiæ: at verō Theologi cōmuniter priore vtuntur modo: non enim Magister ostendit solū conditionaliter, sed absolute incarnationē esse à Deo, nec Theologi cōcludunt personas distingui solis relationibus, si conueniunt in natura, sed ex eo quod sint plures, & conueniunt in eadē natura absolute, cōcludunt distingui solum

penes

penes relationes, qua veritates absolute nituntur reuelatione. Ad cuius impugnationem respondetur, suppositionem falsam, vel improbabilem, si sumatur solū gratia exempli, ut sumi potest illud duorum corporū se tangentium, nō impedire euidentiā sciētię, suppositiones verō fidei non sumi eo modo, sed tanquā principia veritatis cognoscendę. Secundū supponit id, de quo est cōtrouersia, nimirū fieri posse demonstratiōe Theologicā cōstantē principijs euidēter notis, cuius oppositū c. 2. ostendit. Respondetur etiā per discursū Theologicū gigni habitū distinctū ab his omnib. quos Philosophus numerat lib. 6. Eth. ut infra explicabo, nec mirū esse quod latuerit Aristot. habitus pendens ex principijs supernaturalib., sicut & ipse fidei habitus latuit. Ad 3. respondetur nō sat esse illa omnia ad sciētiā propriē dictā, sed requiri præterea euidētiā, qua caret discursus Theologicus, assensus, & habitus per eū genitus. Respondetur etiā habitū Theologicū non necessitate simpliciter ad assensū, cū pēdeat saltē ex altero assensu de fide, qui omnino liberē elicitur & quēadmodum intellectus circa illud manet indifferens, ita in radice est quoque indifferens ad cōclusionē: quāuis ex suppositione possit necessitari, nempe quādiu nō retractat assensum circa principium reuelatū. Obijciēs, nō aliter necessitari intellectū erga cōclusiones euidēter demonstratas, nā sublato assensu præmissarū nō necessitat. Respondetur, quoad necessitatē exercitiij, eādē esse rationē, nō tñ quoad libertatē contrarietatis, nā licet cōueniāt in hoc, nempe quod stātē assensu principiorū dissentire animus nequeat cōclusioni, tñ differūt quādiu ad nō dissentiendū principijs euidētib. necessitatē simpliciter intellectus, & cōsequenter etiā ne dissentiat cōclusioni ex illis euidēter deductę: nō necessitat aut quominus reuelatis dissentire possit: fallitur aut Tolet. si ad rationē sciētię censet sufficere necessitatē suppositionis, nā hanc etiā vēdicat cōclusio cuiusvis syllogismi in bona forma: itē si credit discursū Theologicū inducere necessitatē simpliciter, semper. n. pēdet ex assensu libero, saltē alteri præmissę de fide.

Habitus Theologicus non habet euidentiā ex lumine fidei.

C A P V T IIII.

I. Iacobus de Appamis.

Iacobus de Appamis apud Toletan. q. 2. prologi ar. 3. eandē sententiā tueretur ex alio principio, ait enim Theologiam esse euidētem ex principijs euidēter creditis, ita ut eiusmodi euidētiā nō oriatur ex aliquo lumine naturali, ut aiebāt auctores c. 2. & 3.

Gillij comment. Theol.

refutati, sed ex ipsomet lumine fidei: quod mentem ita collustrat, ut veritates reuelatas euidēter agnoscat in seipsis, & ne videatur repugnare D. Paulo 1. ad Corint. 13. notitiā, quā de Deo viatores habent, appellanti ænigmaticam, & per speculum, interpretatur illum non de notitiā supernaturaliter habita ex fide, sed de naturaliter acquisita, vel elicitā ex proprijs viribus naturę. Nam quemadmodū, inquit, beati in patria dupliciter agnoscunt res, nimirum, vel in Verbo per lumen glorię, vel in proprio genere per lumen intellectus agentis: ita fideles in via dupliciter agnoscūt obiecta reuelata, vel ex vi luminis naturalis, vel ex vi supernaturalis infusi. Et quēadmodum visio rerū in verbo est clara, & euidens, & multo perfectior, quā ea, quę habetur in proprio genere: ita cognitio habita per lumen infusum fidei est euidens, & multo perfectior ea, quā ex facultate luminis naturalis assequimur. Postremū addit hanc euidentiā solū haberi a fidelibus: qui proinde vtentes principijs reuelatis, quę ipsi euidēter intelligunt, verē demonstrant cōclusiones Theologicas, & acquirunt sciētiā propriē dictā, si tñ eadē argumenta proponantur infidelibus destitutis lumine fidei, nō conuincunt illos: nā quia carent lumine supernaturali a quo pendet euidētiā, nō possunt euidēter assentiri præmissis: atque adeo neque cogi ad assensum cōclusionis. Huic sententię multum fauere videtur Antiqui Theologi. Alen. 3. p. a. q. 68. membro. 9. ar. 1. docens provenire certitudinē fidei ex informatione conscientię, ita ut prima veritate inspirante fidem per habitum eius infusum ipsa in informatione conscientię arctetur homo, & cogatur consentire primę veritati propter se, sicut ex euidētiā cogitur assentiri huic veritati: *Omne totū est maius sua parte.* S. Thom. q. vnica prologi ar. 3. questiuncula 2. ad 2. vbi ait, articulos per lumen fidei infusum, per se notos esse habenti fidē, sicut & principia naturaliter nobis insita per lumen intellectus agentis. Altiſiodorensis lib. 3. tract. 3. c. 1. q. 1. idē docet; & in prologo per fidem nos clarē cognoscere mysteria fidei, & q. 4. docet fidē dicere in corde hominis, iam nō propter rationem naturalem credo, sed propter illud quod video: quoniam tali cognitione adueniente assentit anima primę veritati propter se, & super omnia.

Fundamentum est, quoniam effectus formalis luminis est clarificatio & illustratio intellectus: quę extrinsecē afficit, & quasi attingit obiectū, & exhibet illud intellectui perspicuē videndū. Quod videt Apostolus replexisse cum dixit ad Ephes. 5. *Omne quod*

1. ad Cor. 13.

Alenſi

S. Thom.

Altiſiodoreu.

II.

ad Ephes. 5.